

misi; sed quod priora tempora in ruinis reipublicae nostrisque jacuerunt: posteriora autem me a scribendo tuis injustissimis atque acerbissimis incommodis retardarunt. Cum vero et intervallum jam satis longum fuisse, et tuam virtutem, animique magnitudinem diligentius essem mecum recordatus; non putavi esse alienum institutis meis haec ad te scribere. Ego te, P. Sexti, et primis temporibus illis, quibus in invidiam absens et in crimen vocabare, defendi: et cum in tui familiariissimi judicio ac periculo tuum crimen conjungeretur, ut potui accuratissime, te tuamque causam tutatus sum: et proxime recenti adventu meo cum rem aliter institutam offendissem, ac mihi placuisset, si adfuissem; tamen nulla in re saluti tuae defui. Cumque eo tempore invidia annonae inimici non solum tui, verum etiam amicorum tuorum, iniquitas totius judicii, multaque alia rei publicae vitia plus, quam caussa ipsa veritasque valuissent: Publio tuo neque opera, neque consilio, neque labore, neque gratia, neque testimonio defui. Quamobrem, omnibus officiis amicitiae diligenter a me sancteque servatis, ne hoc quidem praetermittendum esse duxi, te ut hortarer rogaremque, ut et hominem te, et virum esse meminisses: id est, ut communem incertumque casum, quem neque vitare quisquam nostrum, neque praestare ullo pacto potest, sapienter ferres, et dolori fortiter, ac fortunae resisteres: cogitaresque, et in nostra civitate, et in ceteris, quae rerum potitae sunt, multis fortissimis atque optimis viris, injustis judiciis tales casus incidisse. Illud utinam ne vere scriberem, ea te republica carere, in qua neminem prudentem hominem res ulla delectet. De tuo autem filio vereor, ne si nihil ad te scripserim, debitum ejus virtuti videar testimonium non cepisse: sin autem omnia, quae sentio, praescripserim, ne refricem meis litteris desiderium ac dolorem tuum. Sed tamen prudentissime facies, si illius pietatem, virtutem, industriam, ubicunque eris, tuam esse, tecum esse duces. Nec enim minus nostra